



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Epistola VIII. Pelagii Papae I. Ad Sapavdvm Episcopvm Arelatensem.
Salutatoria, priusquam a Sapaudo literas acciperet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

pta in antigrapho quod acceperat, eius epistolæ subscriptio, vbi anno XV. scriptum fuerat, pro anno XVI. Basili. quod mendum veterum eorumdem librorum ope sustulimus.

EPISTOLA VIII.

PELAGII PAPÆ I.

AD SAPAVDVM EPISCOPV M ARELATENSEM.

Salutatoria, priusquam a Sapaudo literas acciperet.

Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius.

Quæ nobiscum omnipotentis Dei gratia fuerit opera ta, ad caritatem tuam credimus fuisse perlatum. pro qua re ad nos destinari conuenerat, vt visitatione communi magno inuicem gaudio frueremur. Nos tamen fraternalē memores caritatis, præsentium portitorum occasione reperta, officium fraternalē salutationis impendimus, optantes vt alterna in timore Domini caritate viuentes, mutuo frequenter refoueamur alloquio. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data IV. Nonarum Iuliarum, anno XV. post consulatum Basili viri clarissimi.

EPISTOLA IX.

PELAGII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Modeste laudes reiicit, quibus illum Sapaudus
in literis suis ornarat.*Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius.*

FRATERNITATIS vestræ grata nobis colloquia Felice viro honesto deferente suscepimus. quibus recensitis, communi Domino ac Deo nostro insufficientes gratias egimus, quia dilectionis tuæ incolumitatem, quæ nobis est desiderabilis, eorū testificatione cognouimus. Ea autem quæ in nostris laudibus facundia oris vestri differuit, quamquam vos congruentem vobis rem fecisse manifestum sit, nos tamen nihil nostrū ex omnibus quæ dicta sunt agnoscentes, verecundiam magis incurrimus, illud doctissimi viri ad animum producentes, qui dixit: Sicut vera laus ornat, sic falsa castigat. Multum enim vitæ nostræ ac morum verba caritatis vestræ mensuras excedunt. Optamus tamen, vt sanctorum omnium precibus & vestris orationibus faciat nos Deus tales existere, quales vos esse ex